



Intra rebus creatis a Deo, habet efficaciam respectu alicujus modus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem (verbi gratia, Sol ratione luminis sibi naturaliter indit, potest cum solo generali Dei concursu, titulo creationis cuilibet creature connaturaliter debito, illuminare; ignis ratione caloris sibi congeuti, calefacere, & sic de aliis) se igitur intellectus humanus habet aliquam formam, scilicet ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiens ad aliqua intelligibilia cognoscenda; ad ea scilicet in quorum percipiendam per sensibilia possumus devenire; subindeque cum solo generali concursu, & absque speciali gratia potest, etiam in natura lapsa, aliquid ex illis cognoscere, & aliquid veritatem speculativam, saltem ex maxime cognoscibilibus, percipere: alias, ut ait idem Doctor Angelicus in 2. dist. 28. quest. 1. artic. 3. *Natura humana aliis imperfectior esset, qua non sibi sufficeret in naturalibus operationibus, & intellectiva potentia esset omnium formarum imperfectissima, quod tamen absurdissimum est; omnis enim efficacia seu activitas forma fundatur in actualitate, ita ut quanto forma fuerit actualior, tanto sit efficacior & activior: atque adeo cum intellectus sit actualior ceteris formis, sicut est magis immaterialis, docet quoque segregatus est a potencialitate.*

71 Confirmatur: Virtus non indiget gratia ad videndum colorem, lumine Solis illustratum: cur igitur intellectus exeat speciali Dei auxilio ad quodlibet verum, etiam per se notum, cognoscendum, illudque cum solo generali Dei concursu non poterit apprehendere?

18 Respondetur primo cum Autoribus antiquis prime sententia, intellectum humanum ad quodcumque verum cognoscendum indigere speciali auxilio, quia per peccatum originale fuit vulneratus vulnere ignorantis, & mansit sine ordine ad verum: & in hoc distat ab oculo corporeo, & ab aliis causis naturalibus, quæ per peccatum non sunt vulnerate; unde non indigent sanari per speciale auxilium, sed cum solo generali Dei concursu in actus sibi connaturales possunt exire.

Sed contra: Esti per peccatum originale lumen naturale intellectus nostri fuerit læsum, five attenuatum, non tamen fuit totaliter extinctum, ut de fide certum est: Ergo cum solo generali Dei concursu potest aliquas veritates speculativas, saltem ex facillioribus & per se notis cognoscere. Patet consequentia: nam lumen attenuatum, est non intente, potest tamen lucere: & homo agrotus potest aliquos passus felicitate, est non sicut homo sanus: Item potentia visiva, quantumcumque læsa & debilitata, dummodo non sit totaliter extincta, potest absque speciali auxilio Dei, videre aliquid objectum, saltem ex maxime omnium visibilibus.

19 Respondetur secundo cum Vasquez, & Meratio, intellectum humanum non indigere auxilio speciali ad cognoscendas veritates naturales, ex eo quod fuerit læsus, seu debilitatus per peccatum originale, sed quia ad verum & falsum indifferens est, unde quod determinetur ad verum potius quam ad falsum, est specialis gratia conditoris.

Sed contra: Intellectus noster, quantum ad suam primariam inclinationem, est quoad specificationem determinatus & propensus in verum sibi proportionatum, & sic falsitas est contra ejus naturam, sicut peccatum, supra quest. 71. dicitur esse contra naturalem inclinationem hominis: unde aliquando est ei debitum auxilium, non solum sufficiens, sed etiam efficax, ad exercitium alicujus cognitionis circa veritatem.

20 Dices cum Vasquez: Esti intellectus noster secundum suam primariam inclinationem fit ad verum propensus quoad specificationem, tamen quoad exercitium indifferens est ad hoc vel illud verum, unde quod determinetur ad hoc, gratia specialis est.

Sed contra: Eo ipso quod intellectus quoad specificationem sit determinatus ad verum, debitum est ei concursus generalis ad aliquando verum attingendum; sicut igni debitum est concursus generalis ad calefaciendum, quia quoad specificationem determinatus est ad calefaciendum, licet in exercitio indifferens sit ad hoc vel illud combustibile; cum hæc tamen differentia, quod igni debitum est ille concursus generalis in omnibus suis individuis, debito necessitatis, nature autem intellectuali debito proportionis in aliquibus individuis, contingenter; sicut debitum est natura intellectuali habere bonum ingenium, non in omnibus individuis, sed in aliquibus: Ergo quod aliquando intellectus humanus a Deo determinetur ad cognoscendam aliquam veritatem naturalem & sibi proportionatam, specialis gratia Dei conditoris dici non debet, sed spectat ad generalem gratiam creationis, & ad universalem Dei providentiam.

21 Addo quod ex hac sententia Vasquez sequitur, intellectum sine auxilio speciali, valere solum ad falsum, subindeque etiam voluntatem solum valere ad malum, cum illa sequatur intellectum, & nequeat operari bonum, nisi ab eo præcognitum. Sed hoc dici non potest, cum

fit damnatum a Pio V. & Gregorio XIII. certas Rari propositiones profertentibus, inter quas ista reperitur: *Liberum arbitrium sine gratia & adjutorio Dei, non nisi ad peccandum valet; Ergo &c. Nec valet si dicas cum eodem Vasquez, esse medium inter bonum & malum, scilicet indifferens, non inquam, valet; Tum quia in Tractatu disput. 5. artic. 5. de moralitate actuum humanorum hoc impugnatum est, ibi enim ostendimus, nullum posse dari actum humanum indifferenter in individuo; Tum etiam, quia licet secundum aliquos respectu voluntatis detur actus indifferens in individuo, & medius inter bonum & malum, non tamen potest dari actus indifferens in individuo inter verum & falsum, cum ab eo quod res est vel non est, propositio dicatur vel falsa, & inter esse vel non esse, utpote contradictoria, nullum possit dari medium.*

Ex dictis probata manet secunda assertionis pars, quæ est de veritatibus practicis & moralibus; nam sicut lumen naturale intellectus speculativi non est totaliter extinctum per peccatum originale, sed dumtaxat attenuatum; ita nec lumen naturale synderesis, seu intellectus practicum, unde Psalm. 4. dicitur: *signatum est super nos lumen vultus tui Domine, &* Apostolus ad Rom. 1. docet legem Dei naturalem scriptam esse in cordibus, seu conscientiam omnium hominum, non operatione extraordinaria Dei, sed digito Dei extraordinarie operante (ut scripta erat lex vetus in tabulis lapideis) sed ipsa creatione, seu impressione luminis naturalis. Hinc Chrysostomus homil. 50. in Genes. ait: *In natura nostra insita est scientia boni & mali, nullus igitur præterea quod ignorans virtutem negligat, &c.* Ergo homo in statu nature lapsæ potest, absque speciali auxilio gratiæ, non tantum aliquas cognitiones speculativas de existentia Dei habere, sed etiam aliquas practicas, & morales de ejus lege naturali, deductas ex primis principiis synderesis. Consequenter patet ex supra dictis: potentia enim læsa & debilitata, dummodo non sit totaliter extincta, potest aliquid actum imperfectum elicere, ut supra variis exemplis declaravimus.

Confirmatur primo: Paulus ait quod per hanc cognitionem practicam, quam Deus indidit omnibus hominibus, ipsi sibi sunt lex. Ad si hæc notitia non esset eis naturalis, non essent ipsi sibi lex: Ergo talis cognitio est ex viribus nature, non vero ex speciali auxilio gratiæ.

Confirmatur secundo: Potest homo (ut ostenditur artic. 3.) aliquid bonum morale naturalis ordinis, absque auxilio gratiæ, facere: Ergo & illud practice cognoscere in ratione boni, nihil enim volitum, quin præcognitum speculative & practice.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Contra nostram assertionem objiciunt in primis Adversarii: Homo dicitur a Sanctis Patribus ex peccato originali accepisse vulnus ignorantis, & factus esse cæcus: Ergo nihil videre potest in illo statu: nisi illuminetur per gratiam. Unde Gregorius Magus homil. 11. in Evangel. loquens de cæco quem Christus Lucæ 18. illuminavit: *quis, (inquit) iuxta historiam cæcus ipse fuerit, ignoremus, sed tamen quid per mysterium significet, novimus; Cæcus quippe est genus humanum, quod a parente primo à Paradisi gaudiis expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur, sed tamen per Redemptionem sui presentiam illuminatur, ut interna lucis gaudia jam per desiderium videat, atque in via vite, boni operis gressus ponat.*

Respondetur quod homo dicitur factus cæcus per peccatum originale, quia per illud amisit lumen fidei, & scientiæ insule, quod in statu innocentie Adam a Deo receperat; unde ut illud recuperet, eget gratia Redemptionis; non autem dicitur cæcus ex eo quod lumen rationis & scientiæ acquisitæ perdidit, sic enim per originale desideret esse homo; quæpropter, ut veritates naturales, five speculativas, five practicas cognoscatur, non indiget auxilio speciali, sed dumtaxat concursu generali.

Addo quod vulnus ignorantie, humane nature per originale insulsum, solum convincit, non posse hominem in statu nature lapsæ omnes veritates naturales collective cognoscere, non vero arguit, ipsum nullam omnino sine speciali auxilio posse attingere: nam, ut supra dicebamus, quamvis infirmus & vulneratus, non possit omnia facere quæ sanus facit, potest tamen aliqua, quæ sunt ejus viribus proportionata, præstare.

Objiciunt secundo aliqua Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum testimonia: Apostolus enim 2. ad Cor. 3. ait: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et Concilium Milevitanum cap. 4. dicit, *utrumque Dei donum esse, scire quid agere debeamus, & diligere quæ debemus.* Item in Synodo Arausiana, can. 9. sic habetur: *Divini munus est cum recte cogitamus, Et*

Et can. 22. *Nemo habet de suo, nisi mandatum & peccatum: Si quid autem habet homo veritatis æque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sistere in hac ætate, ut ex eo quasi gutta quibusdam irroratis, non desquamus in vita.* Denique aliqui Sancti Patres dixerunt omnem nostram cognitionem descendere a Deo Patre lumine, & omne verum, a quocumque dicatur, esse a Spiritu Sancto: Ergo nemo potest veritatem ullam speculativam, aut practicam, sine speciali Dei gratia, cognoscere.

Respondetur Apostolum, loco citato, loqui de cogitatione sancta, id est, ad veram justitiam & sanctitatem per se conferente; ut ex antecedentibus & subsequentibus liquet, & exponit Concilium Arausianum can. 7. & Augustinus de prædest. Sanctorum cap. 2. de bono persever. cap. 12. ubi ait: *Quod avincit ad pietatis viam, & verum Dei cultum, non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.* Similiter Concilia, & SS. Patres citati, vel loquuntur de cogitatione aliquo modo supernaturali, & ad salutem per se conferente, quam fatemur non posse haberi sine gratia; vel solum indicant, scientiam & cognitionem veritatum naturalium manare a Deo ut auctore natura; & per concursum generalem intellectum moventem ad verum intelligendum, ut exponit Sanctus Thomas quest. 24. de verit. art. 14. in responsione ad argumentum sed contra, & hic artic. 1. ubi sic habet: *Dicendum quod esse verum, a quocumque dicitur, est a Spiritu Sancto, sicut ad insulsum naturale lumen, & moventem ad intelligendum & loquendum veritatem, non sicut ab inhabitante per gratiam, &c.* Cui interpretationi favet Concilium Arausianum apud Augustinum Epist. 95. ubi ait, aliquando nominum gratiæ non incongrue intelligi beneficia naturalia Dei, inclusa in creatione nostra.

Dices: Etiam mendacium, seu assensum falsum habemus a Deo ut auctorem nature, eum enim elicitum viribus nature quam Deus condidit, & concursu generali & ordinario quem suppeditat: Sed Concilium Arausianum ait, nos habere a nobis mendacium, a Deo veritatem: Ergo intendit nos illam habere a Deo, ut largitore gratiæ, & non tantum ut auctore natura.

Respondetur, negando Majorem: sicut enim licet Deus concurreat cum voluntate ad entitatem peccati, ejus tamen malitia ac deformitas non est a Deo movente & concurrente, sed a voluntate creata deficienti, seu distorti ad regulas morum operante, ut Tractatu de voluntate Dei fuso ostendimus; ita licet Deus cum intellectu assensum falsum elicere concurreat, tamen illa falsitas non oritur ex divina causalitate seu concursu, aut ex vi luminis intellectualis quod habet homo a Deo creatore, sed ex propria defectibilitate intellectus creati, seu ex defectu majoris luminis quod illi deest. Quod potest hoc exemplo illustrari: si quis in locum tenebrosum interret tenuen læcem, quia illata locus maneret ex parte illuminatus, & ex parte obscurus & tenebrosus, tunc deberet dici quod quidvis habet claritatis locus ille, habet ab eo qui lucem intulit; quod vero restat in illo obscuritate, habet a se, seu defectu majoris luminis quod illi deest. Sic creatura rationalis est nihil ortho, quidvis habet veritatis, virtutis, sapientiæ, & sanctitatis, habet a Deo, vel ut largitore gratiæ, vel ut auctore nature; quidvis vero habet defectibilitatis in cognoscendo, aut volendo, habet a se, veluti reliquias sui nihil: unde olim Deo dicebat humilis & pius Augustinus: *ignosce quæ meum est; ignosce quod suum est.*

Objicitur tertio: Possimus Deum orare pro auxilio ad quodcumque verum cognoscendum requisito, & de illo obtento ipsi gratias agere: Ergo illud non est generale, sed speciale. Antecedens patet ex communi praxi fidelium: nemo enim imprudente damnat quem videt tale auxilium a Deo petere, & pro eo obtento gratias illi exhibere. Consequenter vero probatur ex Augustino Epistola 95. ubi ait: *Oratio est clarissima gratiæ testificatio.* Et Epist. 107. dicit *gratiarum actio est certissimum signum beneficii gratiæ.*

Respondetur, concessio Antecedente, negando Consequentiam: possimus enim pro auxilio generali Deum orare, & de eo obtento ipsi gratias agere, quando habet aliquid contingentie & fallibilitatis; nam ob talem contingentiam habet rationem beneficii, non specialis, quia debitum est, sed generalis quia contingens est, & ex parte eventus fallibilitatis habet: quæpropter oramus Deum pro pluvia, serenitate, frugibus terra, & illis obtentis, gratias agimus illi; quia licet pertinet ad providentiam generalem, tamen contingentiam & fallibilitatem habent ex parte eventus.

Dices primo: ex hac responsione sequitur concursum ad materiale peccati esse beneficium Dei; siquidem connotat aliquid contingentie & fallibilitatis. Sed negatur sequela: quia omne quod datur contingenter aut inabilitatem, non est beneficium, si aliunde non sit commodum & utile recipienti, nec cedat in bonum ipsius, quod non habet concursus ad materiale peccati.

Dices secundo: D. Augustinus, locis citatis, ex oratio

ne, & gratiarum actione inferebat necessitatem gratiæ specialis, non vero solum auxilii generalis: agebat enim contra Pelagianos, qui non negabant gratiam generalem ad donum creationis pertinentem, sed specialem, & a dono creationis distinctam: Ergo ex eo quod fideles a Deo petant auxilium ad quocumque veritatem cognoscendam, & de eo obtento ipsi gratias agant, recte colligitur non solum generale, sed etiam speciale auxilium, ad quocumque veritatem cognoscendam requiri.

Respondetur, concessio Antecedente, negando Consequentiam: licet enim ex oratione applicata ad res excedentes donum creationis, & efficaciam naturalium virium, recte inferatur necessitas gratiæ specialis; & hoc modo Sanctus Augustinus ex oratione recte probet contra Pelagianos, specialem gratiam esse necessariam ad refundendam a peccato, & ad bene operandum in ordine ad vitam eternam, quia hæc vires naturales excedunt: tamen ex oratione ut sic, non inferitur gratia stricte, sed lato modo sumpta, pro quolibet beneficio Dei; quia illa potest applicari ad res ordinis naturalis, seu ad generalem Dei providentiam pertinentes, quando aliquid contingentie & fallibilitatis habent, ut in exemplis supra adductis patet.

Objicitur quarto: Dicit potest de quocumque cognitione veritatis, quod potuit homo, salva sua creatione, & providentia Dei generali ea carere: Ergo quod eam de facto assequatur, specialis gratia conditoris est, & non solum beneficium generale, ad donum creationis pertinentes. Consequenter videtur bona: Antecedens probatur. Potuit Deus ita universum instituire, & ita disponere causas secundas, ut ex naturali earum cursu & operatione, in homine qui aliquando verum assequitur, semper error atque deceptio sequeretur: unde quod res ipsa ita disponatur, ut hominem in veri cognitionem aliquando ducant, ad indebitam & specialem Dei providentiam, subindeque ad gratiam specialem a dono creationis distinctam, referendum esse videtur: Ergo potuit homo, salva sua creatione, & providentia Dei generali, cujuscumque veritatis cognitione carere.

Respondetur primo, negando Antecedens: ad cujus probationem dicendum est, quod licet Deus de potentia absoluta talem ordinem & cursum causarum secundarum instituire poterit, sed a voluntate potentia ordinata, seu per infinitam ejus sapientiam & suam providentiam regulata: quia cuilibet homini sua mentis compo, & diu in vivis agenti, aliqua cognitio veritatis, præsertim Dei ut auctoris nature, & primorum principiorum synderesis, connaturalis est.

Respondetur secundo, dato Antecedente, negando Consequentiam: nam ea dona que conveniunt plerisque hominum in cursu ordinario causarum naturalium, non sunt gratiæ stricte sumptæ, est aliquando contingit ali- quod hominem illis carere: ut verbi gratia, visus, auditus, locutio, & intelligentia ipsa, non sunt beneficia gratiæ stricte sumptæ; est aliquando contingit homines nati cæcos, sordos, mutos, immo & quodam perpetuo mentes; sed hæc, & alia id genus beneficia, ad dona creationis & conservativis, tamquam eorum correlata & complementa, revocari debent. Idem cum proportione de cognitione veritatum naturalium dicendum est.

§. IV.

Resolvuntur alia sententia, & vera statuunt.

Deo secundo: Homo in statu nature lapsæ potest sine gratia, seu auxilio speciali, singulari veritates naturales, tam speculativas, quam practicas cognoscere. Itæ assertio intelligenda est, non de quibuscumque hominibus, sed de illis dumtaxat qui ingenio pollent: nam aliqui sunt adeo inepti, ut neque propria inventionem, neque aliorum instructionem & disciplinam, possint acquirere notitiam cujuscumque veritatis naturalis, etiam est sensibus cognoscibilibus; unde D. Thom. 1. contra Gent. cap. 4. dicit aliquos ratione complexionis esse naturaliter indiffinitos ad sciendum. Hoc præmissis.

Probatum primo: Singulæ veritates naturales sunt proportionate physice & moraliter cum intellectu hominis lapsi: Ergo potest illas absque speciali gratia cognoscere. Consequenter patet: nam specialis gratia solum est necessaria ad tollendam improportionem aliquam physice aut moralem, ut ex dicendis constat. Antecedens quoad primam partem est certum, cum veritates illæ contineantur intra lines objecti sensibilis, quod est objectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu. Quoad secundam vero fudatur. Impeditaque hæc improportionem moralem causant ad totam collectionem hujusmodi veritatum attingendam, sunt illarum multitudo, brevis vita, occupatio in somno, & ad res humane vite necessarias distractio, ut infra exponemus: At hæc respectu singularum non militat, cum tempus ad illarum

quamlibet sigillatim cognoscendam requisitam, non ita longum sit, ut naturalem vite nostre periodum excedat, & cum occupationibus hujus vite non possit componi: Ergo veritates illa nedum physice, sed etiam moraliter, cum intellectu hominis lapsi proportionata sunt.

39. Probat secundum conclusionem: Maxima & difficillima veritatum naturalium cognitio est illa que habetur de Deo ex effectibus naturalibus, utpote que sit de objecto maxime immateriali, & a sensibus remotis: Sed sine auxilio gratia potest ex creaturis divinitus cognosci ab homine in statu naturae lapsae, loquitur enim interdu Scriptura de cognitione illa tanquam de possibili homini lapsi juxta providentiam communem, sine mentione & respectu ad gratiam specialem, ut patet ex illo ad Rom. 1. *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellectui conspiciuntur, & ex illo Sapient. 17. A magnitudine speciei & creatura cognoscibiliter poterat horum creator videri*: Ergo a fortiori quaecumque alia veritates naturalis illi inferiori, poterit sine auxilio gratiae cognosci.

40. Quod diximus de veritatibus speculativis, proportionate servata, dicendum est de practicis, cum objectum proportionatum intellectus humani sit omne verum naturale, ex sensibus cognoscibile, non tantum speculabile, sed etiam practicum & aliunde nullum in natura lapsae videatur esse impedimentum, quod veri practici cognitionem prohibeat: licet enim efficacitas conscientiae, & rebellio passionum aliquando non sinant intellectum se applicare ad ejus cognitionem, tamen cum motus illi non sint continui, nec semper, & in omnibus occasionibus in appetitu inferiori excitentur, interdum illi permittantur.

41. Pro majori hujus secundae partis intelligentia, & plurimum argumentorum solutione diligenter observandum est, veritates practicas esse in duplici differentia: quaedam enim sunt quae pertinent ad artes, & dirigunt affectionem; aliae autem dicuntur morales, quia actus humanos respiciunt, & istae adhuc subdividuntur in eas quae pertinent ad Philosophiam moralem, & vel sunt principia moralia, vel conclusiones ex illis deductae, & in eas quae spectant ad prudentiam, ut sunt illae quae ordinauntur hic & nunc ad executionem. Quamvis ergo intellectus humanus possit cognoscere sine speciali gratia omnes veritates artificiales divise, & morales, quae sunt principia, vel conclusiones Philosophiae morales, quia eadem est ratio de illis ac de speculativis; immo & aliquas ex illis quae immediate pertinent ad prudentiam: non potest tamen attingere absque speciali auxilio, omne verum practicum ad prudentiam pertinens; cum enim homo in statu naturae lapsae, per peccatum originale a Deo ut sine naturali & supernaturali averfus sit, non potest sine speciali gratia formare hoc judicium practicum, & prudentiale, *hic & nunc Deus est super omnia diligendus*, tum quia tale judicium dependet a rectitudine appetitus, tum etiam quia est semper conjunctum cum executione, & habet rationem imperii practici: in statu autem peccati homo non potest sine auxilio speciali Deum etiam ut auctorem naturae, super omnia diligere, ut infra ostendetur.

Dico tertio: Homo in statu naturae lapsae, totam collectionem veritatum speculativarum, vel practicarum ordinis naturalis, sine gratia, seu auxilio speciali attingere nequit.

42. Prima pars hujus assertionis probatur primo ex D. Thoma 4. contra Gentes cap. 52. ubi inter poenas spirituales originalis culpa, ponit vulnus ignorantiae in intellectu speculativo, his verbis: *Iner spirituales poenae sunt debilitas rationis, ex qua contingit quod homo difficaliter perveniat ad veri cognitionem, & de facili labitur in errorem, & appetitus bestiales omnino superare non potest, sed multum est perturbatus ab eis*. Quibus verbis primo constituitur vulnus ignorantiae in intellectu speculativo; & deinde in practico, quatenus non potest bestiales superare appetitus. Et supra quae 85. artic. 3. ad calcem corporis articuli ait: *Pro peccatum ratio habetur praecipue in agendis: ubi ly praecipue denotat rationem haberi etiam in speculabilibus, sicut minus principaliter*. Unde hic art. 2. ad 3. inquit: *Magna natura humana corrupta est per peccatum, quantum ad appetitum boni, quom quantum ad cognitionem veri*. Quibus locis in primis praecipuum Cajetani fundamentum convellit: ille enim idcirco asserere videtur, hominem in statu naturae lapsae posse sine gratia, seu auxilio speciali, omne verum speculabile, nedum divise, sed etiam collective attingere, qui existimat vulnus ignorantiae ex peccato originali proveniens, esse tantum in intellectu practico, non autem speculativo. Deinde infinuatur haec ratio, quae potest primo probari nostra conclusio. Potentia infirma & vulnerata non potest prestare totum id quod facere valet potentia sana & integra: Sed attingere omne verum speculabile, nedum divise, sed etiam collective, est actus potentiae intellectivae, sanae & integre: Ergo intellectus hominis lapsi vulnere ignorantiae affectus, non potest, nisi sanetur per gratiam, totam collectionem veritatum speculativarum attingere.

Confirmatur: Voluntas propter vulnus malitiae, non potest omnia praecpta legis naturae collective sumpta adimplere, ut infra patebit: Ergo pariter intellectus, propter vulnus ignorantiae, non poterit omne verum collective cognoscere.

Probat secundum eadem pars: Licet in homine lapsi sit potentia physica ad totam veritatum speculabilium ordinis naturalis collectionem, cum ille continetur in linea entis sensibilibis, seu cognoscibilis per species a sensibus acceptas, quod est objectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu, non tamen potentia moralis, absque speciali gratia: Ergo sine illa non potest talem collectionem attingere. Consequentia patet: nam ad agendum requiritur non solum potentia physica, sed etiam moralis & expedita, seu ab omnibus impedimentis libera. Antecedens vero fundatur: quia in statu naturae lapsae potentia intellectiva hominis est pluribus impedimentis quasi ligata, ne possit in totum suum objectum collective sumptum sine errore & defectu prorumpere. Primum est brevitatis vite, ad omnes enim veritates cognoscendas requiritur longissimum tempus; tum quia fere fere innumerae; tum etiam quia homo non devenit in cognitionem veritatis ut plurimum, nisi medio difficili & longo discursu, hinc inde, male, maxime ut veritates sunt occultae & remotae a principiis. Secundum impedimentum est imperfectum ministerium sensuum, tum propter eorum gravitatem & tarditatem, tum propter organorum, in quibus resident, debilitatem, & maximum in iteris saepius eorum actionibus spirituum animalium consumptionem. Tertium est indisciplinatio corporis, quod studio & labore maximo debilitatur. Quartum, tarditas & pigritia addiscendi, & se applicandi ad studium. Quintum, rebellio & perturbatio passionum, quae rationem obnubilant, movendo ad alia, & minuunt inclinationem ad studium & inquisitionem veritatum naturalium. Sextum est sollicitatio frequens circa temporalia, & necessaria ad victum, quae etiam minuunt conatum mentis, & tempus studio impendendum absumit.

Aliqua ex his impedimentis Hippocrates Aphorismo 2. 44 enumerat, dicens: *Ars longa, vita brevis, occasio praecipua, experimentum periculosum, iudicium difficile*. Ea etiam innuuntur illis verbis Sapient. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. Nam brevitatis vite, & corporis indisciplinatio, sensuumque hebetudo, significatur in corpora quod corrumpitur: tarditas & pigritia addiscendi, difficultasque iudicii, in anima aggravata: occupatio in rebus externis & ad victum necessariis, inhabitatione terrena: diversis passionum motus animam perturbantes, in multa cogitatione sensus.

Tertio fundatur eadem pars: Id quod haecenus factum non est, merito iudicatur non posse fieri secundum naturam; quare Hieronymus dialog. 1. contra Pelag. ex eo probat non posse hominem propriis naturae viribus absque peccato vivere, quia id nunquam absque gratia contingit: At nullus haecenus inventus est hominum, qui omnes scientias naturales speculativas acquisierit; quinimo quotquot extiterint inter Philosophos veteres, in plerisque gravissime errarunt: unde Aristoteles 1. physic. multos veterum errores notavit circa principia naturae, & ipsemet aeternitatem mundi asseruit, atque de immortalitate animae valde anceps fuit: Pythagoras suam metempsychosim, si ve animarum transmigrationem de uno corpore in aliud, paganae fidei defendit, omnes denique pluralitatem Deorum invexerunt, licet rationi naturali contrariam: & hinc S. Thomas 1. p. qu. 1. art. 1. a. 2. qu. 2. art. 4. & t. contra Gentes cap. 4. inerti necessitatem esse fidem, ut homo citius & facilius multa cognoscat, quam nullo modo, vel non nisi per longum tempus, & cum magna difficultate cognoscere possit: Ergo &c.

Ex dictis probata manet secunda assertionis pars, quae est de veritatibus practicis: Tum quia D. Thomas, locis supra citatis, docet intellectum practicum per peccatum originale magis esse vulneratum, quam speculativum, subindeque minus potentem ad totam sui objecti collectionem attingendam: Tum etiam quia passivum motus in appetitu sensitivo frequenter infurgentes, magis impediunt veritatem iudicii practici, quam speculativi; unde D. Thomas hic art. 9. dicit, quod *non possumus ad plenum scire quid nobis expediat, juxta illud Sapient. 9. Cogitationes moralium timide, & incertae providentiae nostrae*. Addo quod, cum peccatum non fit in voluntate, nisi praecedat error practicus in intellectu, ut in Tractatu de peccatis disput. 6. artic. 2. ostendimus, sicut homo non potest in natura lapsae omne peccatum esselegere sine speciali gratia, ut infra patebit, ita neque omnem errorem practicum absque illa devitare, subindeque nec omne verum practicum collective cognoscere.

Praecipua Adversariorum argumenta solvantur.

47. Obijcies primo contra secundam assertionem: Voluntas naturalis lapsi, quia per peccatum originale manfit vulnerata vulnere malitiae, non potest absque speciali gratia omne opus moraliter bonum ordinis naturalis efficere, v.g. diligere Deum ut auctorem naturae, vel gravem superare tentationem, ut infra dicemus: Ergo cum etiam intellectus ejus vulnere ignorantiae sit laesus, non poterit similiter omnes veritates naturales sigillatim & divise cognoscere, nisi gratia sanetur ac roboretur.

48. Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam & pariter: duplex enim est ratio discriminis. Prima est, quia licet intellectus speculativus per peccatum originale vulneratus sit, aliter tamen ac voluntas, seu intellectus practicus: nam quantum ad veritates speculativas ratio non est vulnerata in ipso lumine, & in principijs quibus movetur ad cognoscendum, sed solum in extrinsecis quae intellectum delinunt: puta quia sensus externi & interni fuerunt debilitati, vita abbreviata, & plures necessitates ad illam conservandam contraximus: voluntas autem vulnerata est intrinsece, & in principio quo movetur ad operandum, scilicet in fine a quo omnis ejus motus incipit, nam per peccatum originale ab ultimo fine averfa est. Idem dicendum de intellectu practico, quia ille non solum est cognoscens, sed etiam efficiens & movens; unde non solum habet pro principijs ea quae pertinent ad bene cognoscendum, sed etiam id quod requiritur ad movendum & exercendum, nimirum intentionem finis.

Secunda ratio discriminis est, quia ad voluntatem non solum pertinet velle intra se, sed etiam operari & moveri reliquis potentias, easque subjicere rationi; in quo pugnam resistuntiam & difficultatem patitur ex parte appetitus inferioris, ad bonum sensibilibis propensi: ac cognitio pure speculativa intra intellectum consummatur, nec ad alias potentias movenda extenditur, & licet ministerium sensuum indigeat, his tamen potius juvatur ad acquisitionem specterum, quam a veritatis contemplatione impeditur: & sic quomvis sit aliquis actus virtutis, qui ob sui intrinsecam difficultatem vires superet voluntatis infirmas, ut actus efficacis dilectionis Dei, qui movet per modum intentionis ad totum legis impleremem, nulla tamen est veritas naturalis, quae toti impedimento habeat, ut cum solo concursu generalis vinci non possit.

49. Obijcies secundo: Veritates Theologicae habentur per naturalem discursum: & tamen nequit intellectus humanus illis absque speciali gratia assensum praebere, propter dependentiam quam habent ab articulis fidei ut a principiis: Ergo omne quod naturali lumine potest attingi, valet intellectus humanus absque speciali gratia cognoscere.

50. Respondeo, quod in assensu Theologico sunt duo, scilicet bonitas consequentiae, & veritas ex principiis fidei illata. Quantum ad bonitatem consequentiae, patet eam non indigere speciali gratia ut intelligatur, cum illa sit ejusdem rationis in Theologia, ac in aliis scientiis, nec dependentiam habeat ab articulis fidei, sed arti Dialecticae innitatur. Quantum ad veritatem illatam, vel est certa & demonstrata, vel solum probabiliter deducta: si solum probabiliter inferatur, non indiget intellectus ad illius assensum speciali gratiae illustratione, quia non habet ibi fides specialem in fluxum certitudinis, cum opinativo assensui possit subesse falsum: si autem colligatur demonstrative ex principiis cognitio per fidem, indiget quidem speciali gratia praesuppositiva, scilicet gratia fidei, qua intellectus assentitur principiis; non autem speciali gratia distincta, quia assensus Theologicus non est formaliter & entitative supernaturalis, sed radicaliter tantum & initiative, ut docuimus 1. p. in disputatione proemiali ad universam Theologiam.

51. Obijcies tertio: multoties demon homines gravi pulsata tentatione, ut eos a veritatum naturalium studio & contemplatione divertat: Ergo tunc saltem speciali gratia indigent, ut demonis astutia neglecta, veritatis cognitioni incumbant.

52. Respondeo, concessio Antecedente, distinguendo Consequentiam: indigent speciali gratia roborante voluntatem, ut demonis insidias superet, & intellectum a studio veritatis non distrahat, concedo Consequentiam: roborante intellectum, ut veritatis studio applicatus, illius cognitionem obtineat, nego Consequentiam. Nostra ergo conclusio non procedit de difficultatibus quas voluntas pati potest erga studium veritatis, sicut alia opera virtutis, sed de cognitione veritatis secundum se, & de difficultatibus eam concomitantibus, dicimusque, nullam esse tantam, quam intellectus hominis lapsi, saltem ubi inventur cum perfectione sibi debita, ex propriis viribus superare non valeat.

Diluantur objectiones quae contra tertiam assertionem fieri solent.

Contra tertiam conclusionem in primis obijci potest 53 ex Cajetano: Vulnus ignorantiae ex peccato originali proveniens, non afficit intellectum speculativum, sed dumtaxat practicum: Ergo homo in statu naturae lapsae potest absque auxilio gratiae, omnes veritates speculativas collective sumptas cognoscere. Consequentia patet ex supra dictis: Antecedens probatur ex D. Thoma supra quae 84. art. 3. ubi assignando potentias, quae per peccatum vulneratae remanserunt, asserit unam ex illis esse *rationem in qua est prudentia*, id est (ut interpretatur Cajetanus) rationem prout subest prudentiae: Sed ratio prout subest prudentiae est practica, & non speculativa: Ergo ex D. Thoma solus intellectus practicus per peccatum originale vulneratus est.

Respondeo negando Antecedens, ad cuius probationem dico, glossam illam Cajetani non esse bonam, nec textum consonam; nam S. Doctor ibidem ait vulneratam fuisse voluntatem in qua est iustitia, & tamen ex hoc inferre non licet voluntatem solum excepsisse vulnus malitiae, prout iustitia subest: nam verba illa non faciunt sententiam reductivam, sed specificativam. Cum ergo dicit vulneratam esse rationem in qua est prudentia, solum vult rationem practicam, in qua residet prudentia, praecipue vulneratam fuisse, ut expressit tradidit ad finem corporis ejusdem articuli, verbis illis supra relatis: *per peccatum ratio laboratur, praecipue in agendis*.

Obijcies secundo: Si homo ex propriis viribus, cum generali concursu, non possit totam collectionem veritatum naturalium attingere, natura humana esset imperfectior aliis, cum illa ex se habeant vim sufficientem ad omnem operationem sibi connaturalem, non solum divise, sed etiam collective: At hoc videtur absurdum: Ergo & illud.

Respondeo negando sequelam: quia per hoc solum quod natura humana possit exire in aliquos actus sibi proportionatos, perfectior est aliis, quae ex se valent totum suorum actuum collectionem attingere: unus enim actus intellectualis naturae, perfectior est tota collectione actuum aliis naturis convenientium.

57. Obijcies tertio: Qualibet creatura potest cum solo concursu generali exire in actum suae formae sive virtuti naturalis proportionatum, ut docet D. Thomas hic artic. 1. Sed cognoscere collective omnes veritates naturales, tam speculativas quam practicas, est actus proportionatus luminis naturali intellectus nostri, etiam in natura lapsae considerati; cum ille habeat pro objecto proportionato, etiam in illo statu, ens sensibile, seu cognoscibile per species a sensibus ministratas, sub quo omnes veritates naturales, tam speculativae, quam practicae, continentur; cum per veritates naturales eas tantum intelligamus, quae ex sensibilibus cognosci possunt, ut supra §. 1. notabili 1. observavimus: Ergo, &c.

Respondeo primo, distinguendo Majorem: Qualibet creatura potest cum solo concursu generali exire in actum suae virtuti naturali proportionatum: si non impediatur ab extrinseco a tali actu, concedo Majorem: si impediatur, nego Majorem: in statu autem naturae lapsae, plura sunt impedimenta extrinseca supra adducta, quibus potentia cognoscitiva ligatur, ne exeat in actum suae virtuti proportionatum.

Respondeo secundo (& haec solutio coincidet cum praecedenti) distinguendo Majorem: in actum suae virtuti proportionatum, proportione tam physica quam morali, concedo Majorem: proportione tantum physica, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: cognoscere collective omnes veritates, est actus proportionatus luminis naturali intellectus nostri, etiam in statu naturae lapsae, proportione physica, concedo Minorem, proportione morali, nego Minorem: cum enim proportio dicatur exclusionem omnium impedorum, non convenit homini in statu naturae lapsae, in quo potentia ejus intellectiva pluribus impedimentis, quasi ligatur, ne possit totum suum objectum collective sumptum attingere.

Obijcies quarto: Appetitus innatus quo homo naturaliter scire desiderat, non est ad unam vel alteram veritatem, sed ad omnes simul: Atqui appetitus naturalis innatus non potest ad impossibile per vires naturae terminari, alias esset vanus & frustraneus: Ergo impossibile non est, quod homo per vires naturae omnes simul veritates naturales cognoscat.

Respondeo negando Majorem; intellectus enim non habet appetitum innatum cognoscendi simul, sed seorsim & successively, veritates naturales: sicut materia prima non appetit simul omnes formas, sed successively & divisoim, ita quod appetitus ejus nunquam sit in fatiasso esse, sed continuo in latigri.

62 Adde quod, ut appetitus innatus quo homo omne verum ordinis naturalis cognoscere desiderat, non sit frustra, sufficit quod de se, sive ab intrinseco, habeat vim sufficientem ad omnes veritates naturales collectivè cognoscendas, quamvis per accedens talis virtus ab intrinseco sit ligata, & impediatur ne totam illam veritatem naturalium collectionem attingat, ex defectu illorum quæ cum intellectu ad eam attingendam debent suo modo concurrere.

63 Obiiciunt quinto: Veritates naturales sunt sub certo numero, non enim sunt infinitæ: ponamus ergo quod sint decem, & quod intellectus cognoverit novem, statim poterit cognoscere decimam, quia potest cognoscere quamlibet formam & divisivè: Ergo si potest cognoscere omnes divisivè, potest & collectivè; præsertim cum a singulis enumeratis ad omnia simul ascendendo, valeat consequentia, verbi gratia, hic homo est albus, ille homo est albus, & sic diligendo per singulos; ergo omnis homo est albus, vel omnes homines collectivè sunt albi: alias inductio non esset bonus argumentandi modus.

Respondetur primo, negando quod intellectus possit omnes veritates naturales, usque ad decimam exclusive cognoscere; nam cum dicitur eum non posse cognoscere omnes collectivè, sed in aliquibus debere deficere, non est sensus quod sit aliqua determinata, in qua debeat deficere, sed quilibet indeterminata est talis, & sic nusquam verificari potest, quod devenitur ad aliquam determinatam, in qua necessario debeat deficere: sicut cum dicitur oculum esse necessarium ad videndum, non est sensus, quod dexter vel sinister determinate sit necessarius, sed unus solum, quicumque ille sit.

64 Respondetur secundo: quod si ita deveniret ad ultimam veritatem exclusive totius collectionis, in illa deficeret intellectus; quia licet respectu illius absolute & seorsim sumpta habeat potestatem omnino completam & expeditam; secus tamen si sumatur ut aliis conjuncta, & ut terminans prædictam collectionem; quia cum ad ipsam deveniret, debilitata essent organa sensuum, fatigatum esset corpus, perturbata foret sanitas, & imminens vite exitus; & sic deberet intellectus in ea deficere, sicut infirmus deambulando ita fatigatur, ut post quinquaginta passus v. g. alium non possit conficere.

65 Nec valet, si dicas, intellectus fieri potentior ad cognoscendum, quo plura cognoscit, cum non sit potentia organica, nec profunde defatigabilis. Non valet, inquam, quia licet in seipso sit potentior, in sibi tamen adjunctis & subservientibus, puta sensibus corporeis debilitatur & fatigatur.

Ad illud vero quod subiungitur de modo arguendi, a singulis enumeratis ad omnia simul ascendendo, dicendum est, inductionem esse operationem argumentandi modum, quando consequens eodem modo sumitur ac antecedens; sensus vero si sumatur alio modo; verbi gratia, si dicerem, hic equus separatus ab alio, non potest trahere curram, nec ille; ergo nec omnes equi simul & collectivè sumpti, non valeret discutisus, quia procederet a sensu diviso ad compositum, seu a divisivo ad collectivum. Ita similiter, quamvis hæc argumentatio sit bona, potest intellectus hanc, & illam, & istam veritatem enumerando omnes divisivè, cognoscere; ergo & omnes similiter divisivè; illa tamen non valet; intellectus potest hanc, & illam, & istam veritatem cognoscere collectivè; ergo & omnes copulative, quia idem committitur defectus, & arguitur a diviso ad compositum, seu a sensu diviso ad collectivum. Qui modus arguendi non valet, ut experientia ipsa constat; nulla quippe sagitta erat in fasciculo seu pharetra Scyllari, quam facile non possent ejus filii frangere, omnes tamen simul junctas & colligatas, namquam, urgente Patre, potuerunt frangere: & multi docent, nullum esse præceptum Decalogi distributive sumptum, quod non possit homo viribus natura servare, cum tamen omnia collectivè abque gratia servare non possit. Item infra dicemus, nullum esse peccatum veniale, quod non possit homo per auxilium gratiæ generale vitare; omnia tamen simul & collectivè sumpta, abque auxilio gratiæ speciali vitare non posse.

§ VII.

*Corollarium notatu dignum.*

67 EX dictis inferes primo, hominem in pura natura conditum, non habiturum potentiam expeditam moraliter ad attingendam totam veritatum naturalium collectionem, quia eadem essent impedimenta respectu hominis puram naturam obtinentis, ac hominis lapsi: scilicet vite brevitas, & ad res humanas vite necessarias, distractio, aggravatio animi a corpore, &c. Ergo & eadem impotentia moralis ad attingendam totius veri naturalis collectionem.

68 Inferes secundo, nec in statu natura lapsæ, per gratiam sanctificantem gaudere hominem potentia expedita mora-

liter ad prædictam veritatum naturalium collectionem attingendam, quia gratia sanctificans prædicta impedimenta non tollit, nec proinde moralem impotentiam ex illis provenientem. Quamvis, ceteris paribus, homo justus, & in amicitia Dei existens, promptior sit meliusque dispositus ad veri contemplationem, quam existens in peccato mortali, & vitiosæ voluptativitatis deditus, quia peccata & vitia, præsertim carnalia, mentem hebetant & excedunt, juxta illud Sophonis I. *Ambulabunt ut cæci, quia Dominus peccaverunt*. Hinc peccatum a SS. Patribus comparatur herori hircundinis, quod cadens in oculos Tobie, ipsum exceperat. Item in hujus rei typum, Sampson a Dalila deceptus, & a voluptate devotus, oculos amisit, & postea a Philistinis ad molam deputatus est: *Quia* (ut inquit Gregorius lib. 7. Moral. cap. 13.) *primo demones tentationum stultitia intus aeternam contemplationis efficiunt, & postea foras in circuitum laboris mittunt.* Sed

Notandum obiter, quod in Scriptura tribus modis cæci dicuntur illuminati: nimirum luto quo Christus linivit oculos cæci nati, Joann. 9. selle piscis, quo Tobia unxit oculos patris cæci, Tobie 11. & melle quod Jonatas accipiens in summitate virgæ degustavit 1. Reg. 14. ut per hoc inueneret, homines per tria præcipue mysteria illuminari, & a peccatorum tenebris purgari. Primo per mysterium Incarnationis, quod (docet Augustinus tract. 44. in Joann.) luto illo quod Christus ex salvia & terra confecit, fuit expressum: *Magnus* (inquit) *mysterium Dominus commendavit: expressit in terram, ex salvia lutum fecit, quia Verbum caro factum est, & innoxie oculos cæci*. Hinc etiam Gregorius Magnus homil. 11. in Evangel. observat, quod dum Redemptor noster appropinquaret Jericho, cæcus ad lumen rediit: *quia dum Divinitas defectum nostræ carnis suscepit, humanum genus lumen quod amiserat recepit: unde enim Deus humana patitur, inde homo ad Divinam sublevaratur.*

Secundo cæci, mysterio crucis & passionis Christi (per illud sel quo Tobias oculos patris innoxit figuratum) illuminantur, ut patet in Centurione, & Dionysio, qui insensum quibus totus mundus, Christo moriente, obscuratus est tenebris, illuminati sunt, & Dei Filium in carne patientem & morientem agnovērunt; unde Propheta Psal. 138. *sicut tenebris ejus, ita & lumen ejus*, quia Deus, qui de tenebris dicit lucem splendescere, non minus crucis & passionis suæ tenebris, quam gloriæ suæ radiis & splendoribus, mundum illuminavit. Quare Chrysostomus Christi cruceam, mundi lampadem, appellat, & Basilis Seleuciensis homil. de transgred. docet quod Christo moriente & in cruce pendente, Sol ferre non valens crucis splendorem, lucis vi radios abscondit: *Vidit* (inquit) *sel quo prius non didicit, ut qui dicitur sit abscondit aliteris luminis illustratione.*

Tertio per mysterium Eucharistiæ (melle illo quod Jonatas degustavit, expressum) homines illuminantur. Unde de Discipulis euebitis in Emaus ait Evangelista: *Aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt Dominum in fractione panis*. Hinc Chrysostomus homil. 45. in Joann. Eucharistiam, fontem luminis vocat: & Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in Theoria, vas in quo Christi corpus asservatur, arca luminum appellat.

Inferes tertio, quod etiam in statu natura integræ non potuisset homo, abque speciali auxilio, omnes veritates speculativas collectivè cognoscere, nec etiam practicas, quæ ad Philosophiam moralem pertinent; bene tamen eas quæ spectant ad prudentiam, & ordiantur ad operis executionem.

Prima pars hujus corollarii patet: nam licet in statu natura integræ non esset rebellio appetitus sensitivi, nec motus inordinati passionum, fuissent tamen plura alia impedimenta ex supra enumeratis, puta brevitas vite, infirmitas corporis, ad res humanas vite necessarias distractio; cum in eo statu homo, nec fuisset immortalis, nec liber a motibus, & curis ac sollicitudinibus circa necessaria ad vite conservationem, sicut in statu innocentie, seu justitiæ originalis.

Secunda etiam pars constat: nam de veritatibus practicas, quæ ad Philosophiam moralem spectant, eadem est ratio ac de speculativis, ut supra annotavimus.

Tertia vero suadetur: Tota difficultas quæ reperitur in ferendo judicio de veritatibus practicas ad prudentiam pertinentibus, provenit ex rebellione concupiscentiæ, & motibus inordinatis passionum, vel ex eo quod appetitus non sit recte dispositus circa finem ultimum: Sed in statu natura integræ, nulla fuisset rebellio concupiscentiæ, nec ulli motus inordinati passionum; & appetitus esset bene dispositus, utpote inferior superioris, & superior esset subiectus Deo: Ergo nullum fuisset impedimentum in ferendo judicio prudentiali de agendis hic & nunc.

Inferes quarto, quod licet homines in statu innocentie potuissent plurimum scientiam consequi, & facilius, ac breviori tempore, quam in natura lapsæ, vel integræ, non tamen omnium collectivè,

§ I.

*Quibusdam præmissis difficultatibus resolvitur.*

Prima pars hujus corollarii patet: quia per privilegia status innocentie, multa & magna impedimenta sublata fuissent, quæ in statu natura lapsæ & integræ reperiuntur; puta aggravatio spiritus a corpore; corpus enim in statu innocentie fuisset perfecte anime subiectum, vite brevitas, quia tunc vita esset longior, cum homines, edendo de ligno vite, eam per multa secula protrahere potuissent, &c.

Secunda vero suadetur: nam licet Adamus in statu innocentie rerum naturalium scientiam a Deo infusam habuerit, ut in Tractatu de statibus nature humana disp. 1. art. 3. ostendimus, illius tamen posteri, si status innocentie perseverasset, eam infusione non accepissent, sed misterio sensuum & naturali discursu sibi comparassent, ut tradit S. Thom. 1. p. qu. tot. art. 1. Cum autem veritates naturales sint fere infinitæ, vitæque illius status, licet longa, terminum haberet, quo elapso homines in eorum transfrendendi essent, ut communitur docent Theologi, non esset possibilis omnium hujusmodi veritatum occursum, ut illarum species abstracti possent: Ergo omnibus pensatis, tam ex parte objecti, quam ex parte intellectus, non esset in statu innocentie potentia expedita moraliter, ad attingendam totius veri naturalis collectionem. Unde sicut in Angelis sanctis, licet nulla sit ignorantia, est tamen negligentia respectu aliquorum, ut docet Dionysius cap. 7. celestis hierarch. ita etiam in homine nato in statu justitiæ originalis, fuisset negligentia aliarum veritatum naturalium, quæ ad ejus statum non pertinerent: habuisset tamen scientiam omnium quæ debebat scire, fere que ad ipsius statum pertinebant. Et de hac solam loquitur S. Thom. qu. 19. de verit. art. 7. in corp. cum dicit: *Non oportuit filius Adæ nos omnia scientiam habuisse, sed ad eam tempore profectus pervenisse*; nec vero de scientia rerum omnium naturalium absolute: hæc enim, cum ex parte objecti sit fere infinita, sensuum & naturalis discursus ministerio, non potest perfecte acquiri; sed solam a Deo per specierum infusionem haberi; quo pacto Adamo in primo instanti creationis collata fuit: Ex quo

75 Inferes quinto, quod gratia desiderata ad totam naturalium veritatum collectionem attingendam, non est, nec dici debet supernaturalis quoad substantiam, bene tamen quoad modum.

Prima pars patet: Primo, quia collectio veritatum ordinis nature, non est supernaturalis quoad substantiam: Ergo ut cognoscatur, non requirit ex parte principii cognoscens gratiam expeditam supernaturaliter; nam omne id quod exigit per principium formam supernaturalem, sit potens ad illarum cognitionem: At species sic infusæ, non sunt supernaturales quoad substantiam, utpote ejusdem rationis cum speciebus acquisitis a nobis: unde D. Thom. 1. p. qu. 94. art. 3. ad 1. dicit quod *Primus homo habuit scientiam omnium per species a Deo infusas, nec tamen scientia illa fuit alterius rationis a scientia nostra, sicut nec oculi, quos cæco nato Christus dedit, fuerunt alterius rationis ab oculis quo natura produxit*: Ergo gratia desiderata ad totam veritatum naturalium collectionem attingendam, non debet dici supernaturalis quoad substantiam.

Secunda etiam pars non minus est evidens: Id enim dicitur supernaturalis quoad modum, cujus entitas non transcendit ordinem nature, modus tamen quo habetur, illius facultatem excedit, unde visus cæco nato relictus a Christo fuit supernaturalis quoad modum quo habuit: At gratia desiderata ad totam naturalium veritatum collectionem attingendam, non excedit quoad entitatem facultatem humanæ nature, ut jam ostendimus, excedit tamen illius facultatem quoad modum quo habetur, cum species ad hoc requisite, debent a Deo infundi, & non possint nisi longissimo tempore, sensuum ministerio acquiri, atque ab intellectu agente a phantasmatibus abstracti & deparari: Ergo talis gratia supernaturalis quoad modum dici debet.

ARTICULUS II.

*An, & quæ gratia, ad cognoscendas veritates supernaturales, seu ad assentiendum mysteriis fidei, necessaria sit?*

76 Licet hujus difficultatis resolutio directe pertineat ad Tractatum ad fides, tamen quia D. Thomas hic art. 1. de illa agit, assensum ad cognoscendas veritates supernaturales indigere hominem illustratione gratiæ, ideo ab aliquibus hic prætractatur, & nos breviter illam attingemus. Unde sit

76 S uppono primo, veritatem aliquam tripliciter dici posse supernaturalem: Primo ex parte objecti tantum, non vero ex parte rationis sub qua attingitur, ut contingit quando hæreticus fide humana, vel sua voluntate alicui veritati supernaturali, v. g. mysterio Trinitatis, vel Incarnationis præbet assensum; licet enim tunc objectum hujus veritatis sit supernaturalis, motivum tamen, seu ratio formalis sub qua illi assentitur, est pure naturalis, quia non ei assentitur propter motivum divinæ revelationis (alias omnia alia mysteria a Deo revelata similiter crederet) sed propter aliquod aliud motivum, seu rationem humanam, cui potest lubelle fallium. Secundo veritas aliqua potest esse supernaturalis solum ex parte rationis sub qua, seu motivi assentiendi, non vero ex parte objecti crediti, ut quando aliquid naturale creditur ex divina revelatione, v. g. dum credimus Abraham habuisse duos filios, hoc enim naturale est, sed attingitur per lumen divinæ revelationis in Scriptura contentæ. Tertio potest contingere ut veritas sit supernaturalis utroque modo, ita ut objectum cognitum, & ratio sub qua cognoscitur & creditur, supernaturalia sint, ut dum credimus Deum esse trinum & unum.

77 S uppono secundo, ad veritates supernaturales cognoscendas duo requiri, unum ex parte objecti, scilicet quod proponatur seu reveletur; alterum ex parte intellectus, nimirum assensum circa tales veritates: unde ex parte utriusque potest esse difficultas, an scilicet requiratur gratia supernaturalis tam ad proponendum objectum, quam ad assentiendum rebus fidei. Verum quia de primo nunquam fuit disceptatio in Ecclesia (Pelagius enim gratum illam externam, se tenentem ex parte objecti non negavit in secundo statu suæ hæresis, sed tantum internam, seu lumen se tenens ex parte potentie, ab externa revelatione distinctum, ut in Tractatu de hæresi Pelagianæ disp. 2. art. 3. ostendimus) ideo de altero tantum hic agemus, & an requiratur gratia aliqua interna, tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis ad assentiendum mysteriis fidei, breviter hic discutimus.

78 Dico ergo primo: Esti veritas sit supernaturalis ex parte objecti cognitæ, si tamen ratio sub qua, seu motivum assentiendi sit naturale, potest viribus nature attingi; supposita revelatione & promulgatione Evangelii.

Patet hæc conclusio: Objectum enim supernaturalis, prout subest rationi sub qua naturalis, non est formaliter supernaturalis, sed duntaxat materialiter: cum objectum constituitur formaliter in esse objecti, per rationem formalem sub qua attingitur, & cui subicitur: Ergo supposita ejus revelatione, seu manifestatione, potest viribus nature attingi. Unde hæretici fide humana & naturalis assentiuntur quibusdam mysteriis supernaturalibus in Scriptura revelatis, quia ea non attingunt sub lumine divinæ revelationis, sed sub aliquo motivo naturali, quo ad credendum moventur, eaque credunt, quia proprio suo iudicio putant hæc & non alia sibi esse credenda; & licet aliquando ea credant firmiter, non tamen firmitate orta ex certitudine fidei, sed ex pertinacia superbia.

79 Dico secundo: ad assentiendum veritatibus supernaturalibus, sive illa sint supernaturales simul ex parte objecti & rationis sub qua, sive tantum ex parte rationis sub qua, seu motivi, gratia interna requiritur.

Hæc conclusio est certa de fide, & desinita in pluribus Conciliis contra Pelagium, qui in primo & secundo statu suæ hæresis negavit gratiam internam esse necessariam ad credendum, existimans ad hoc sufficere gratiam externam, nimirum prædicationem Evangelii. In quo errore fateretur Augustinus lib. de prædest. Sanctorum cap. 3. se fuisse ante Pontificatum, putans fidem, qua in Deum creditur, non esse donum Dei, sed esse in nobis a nobis, & per illam nos imperare Dei dona, quibus temperanter, pie, & iuste vivamus in hoc seculo; illamque ibidem, & capite præcedenti, variis Scripturæ testimoniis refellit, præsertim ex illo Apostoli ad Philipp. 1. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam pro illa patientia*; & ex illo ad Ephes. 2. *Gratia estis salvati per fidem, & hæc non ex vobis, Dei enim donum est*. Addit etiam illud 1. ad Corinth. 4. *Quid habetis quod non accepistis? si autem accepistis, quid gloriamini quasi non accepistis?* eoque præcipue testimonio dicit se fuisse convictum, ac peremptum ad retractandum quod ante Pontificatum docuerat. Item urget Pelagianos ex verbis ejusdem Apostoli immediate præcedentibus: *Quis se discernit? si enim possit, fides esset in nobis ex vobis, quilibet fidelis dicere possit, fides mea, quam non ex gratia, sed ex me ipso habeo, me discernit*. Urget etiam eos ex illo ad Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex vobis*. Minus enim est cogitare quam credere, nam credere est cogitare cum assensu: si ergo non possimus ex nobis cogitare

giare veritates supernaturales, multo minus eas possunt credere. Denique idem S. Doctor lib. de bono perversi. cap. 19. in eisdem veritatis confirmationem profert egregia Cypriani, Ambrosii, & Gregorii Nazianzeni testimonia, que brevitatis causa pretermitto.

Favet etiam manifesta ratio: Assensus enim fidei quod predictis veritatibus assentimus, est supernaturalis, cum illas sub motivis, seu ratione formali sub qua supernaturali, nempe lumine divina revelationis, attingat. Ergo est improportionatus viribus naturalibus intellectus, subindeque indiget elevatione ad illum elicendum.

80. Confirmatur: Fides est primum nostre justificationis initium, fundamentum, & radix, primaque dispositio ad gratiam justificantem, ut declarat Sacra Synodus Tridentina sess. 6. cap. 6. At dispositio est ejusdem ordinis cum forma ad quam preparat & disponit subiectum: Ergo cum gratia que justificat sit supernaturalis, fides etiam in supernaturali ordine debet constitui, ac proinde vires naturales excedere.

81. Dico tertio: ad credendum ex motivo supernaturali, non solum requiritur auxilium naturale in intellectu, sed etiam in voluntate. Est contra Semipelagianos, qui sicut cum Ecclesia Catholica laterentur, nos non posse credere mysteria revelata sine gratia, contendebant tamen initium fidei esse a nobis, scilicet piam affectionem ad credendum seu quendam credulitatis affectum. Qui error proficitur a Concilio Arausicano can. 5. his verbis: *Si quis sicut augumentum, ita etiam initium fidei, ipsamque credulitatis affectum, non per gratiam donum, sed naturaliter nobis insse dicit, Apostolica dogmatis adversarius probatur, etc.* Illam etiam S. Augustinus locus conclusionem prima citatis impugnat istius Scripturae testimonio, que ibi retulimus. Quibus adjungit potest id quod dicitur Actuum 16. de quadam Lydia purpuraria, nimirum Deum aperuisse ei cor, ut intenderet & crederet his que dicebantur a Paulo: nam ibi per cor significatur voluntas, que prius a Deo tangi & immutari debet per auxilium gratia, quam intellectus prebebat assensum veritatibus revelatis. Quod ut magis pateat.

Sciendum est ex Tractatu de fide disp. 6. art. 2. veritates supernaturales in hoc differre a naturalibus, quod illa habent evidentiam, vel ex seipsis, vel ex medio per quod illuminantur: ratione ejus evidentia convincunt intellectum, & eo eo quasi extorquent consentum, absque eo quod sit necessarium eum a voluntate ad talem assensum applicari, saltem applicatione libera: illa vero nullam habent evidentiam, ratione ejus earum certitudinem penetrari possit ab intellectu, subindeque quantumcumque proponatur, non convincunt intellectum, nec ipsum trahunt ad prebendum consentum, sed necessarium est, ut a voluntate specialiter applicetur ad hujusmodi assensum. Unde bello Augustinus Tract. 36. in Joan. *Interare quisque in Ecclesiam potest volens, accedere ad aliam potest volens, sed credere non potest nisi volens.* Hac autem applicatio, pia meta, seu affectio voluntatis communiter appellatur. Hoc supposito

82. Facile sic potest fieri conclusio. Ad credendum ex motivo supernaturali requiritur pia affectio voluntatis, qua efficaciter movet & determinat intellectum ad assensum veritatibus ipsi revelatis: Ergo etiam requiritur auxilium naturale ex parte voluntatis. Pateat consequentia: quia voluntas suis viribus solis non potest movere efficaciter ad actum supernaturalem, cujusmodi est credere ex motivo supernaturali.

83. Confirmatur: Illa pia affectio voluntatis habet obiectum supernaturale. Ergo est supernaturalis: subindeque auxilium naturale pro principio formali exposcit. Utraque consequentia patet: nam ex supernaturalitate obiecti formalis recte colligitur supernaturalitas in actu, & ex supernaturalitate actus, supernaturalitas auxilii & principii. Antecedens probatur: Obiectum volitum a pia affectione, est ipse actus fidei formaliter: Sed ille est supernaturalis: Ergo pia illa affectio habet obiectum supernaturale.

84. Hec ratio probat requiri auxilium gratia ex parte voluntatis, non solum ad actum fidei formate que est cum caritate, sed etiam ad actum fidei informem, qualis est in peccatore, cum etiam talis actus sit intrinsece supernaturalis, utpote ex motivo supernaturali divina revelationis procedens. Unde quando Concilium Arausicanum canone supra citato definit, ipsum credulitatis affectum esse in nobis per gratiam donum, non loquitur precise de pia affectione que incitat fidem, disponentem ultimo ad justificationem, sed de illa, prout quemcumque actum fidei supernaturalis incitat.

§. II.

Principia objectiones solvuntur.

85. Contra primam conclusionem nullum est argumentum difficile. Sed contra secundam objici potest primo difficile Augustini testimonium, desumptum ex libro de

bono perversi. cap. 14. ubi loquens de Tyrillis & Sidosii, qui visis Christi miraculis credidissent, ut dicitur Matth. 11. subdit: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter minus intelligere, quo inducantur ad fidem, si congrua suis meritis vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Quibus verbis docere videtur, aliquos esse solo naturali munere intelligentia, obique illo interiori modo gratia quo preveniantur, posse moveri ad fidem, & credere mysteria revelata.

Respondet duplicem esse, eamque verissimam hujus loci intelligentiam. Prima est quod per naturale lumen intelligitur, S. Augustinus non intelligit quid naturale, sed intelligat munus naturaliter divinum, id est, natura sua divinum & supernaturale ad intelligendum: hoc enim modo explicat ipsemet Augustinus relatus a S. Thoma illud Apostoli, *Gentes naturaliter que legis sunt faciunt*, dicens: *Non movet quod naturaliter dicit eos que legis sunt facere, hoc enim agit Spiritus gratia, ut imaginem Dei in qua naturaliter facti sumus insinuat in nobis.* Secunda, que magis literalis & textui magis consona apparet, est, ibi loqui S. Augustinum de motione ad fidem, tantum obiectiva, ita quod voluit quosdam habere naturale munus intelligentia tale, quod eadem miracula, & eadem exterior predicatio Evangelii, sunt magis congrua naturali illorum ingenio, quam ingenio aliorum, ad movendos ipsos solum exterius & obiective, quia illos alliciunt & exterius invitant obiective magis quam alios, non tamen quod illa sola signorum visio exterior, de facto illos ad fidem trahat, ita ut de facto per illam solum credant. Hanc esse mentem Augustini constat ex verbis subjunctis, statim enim subdit: *Et tamen si Dei aliorum iudicio a perditionis massa non sunt gratis predestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur, vel dicta divina, vel facta per que possent credere, si audirent utique talia vel viderent.*

86. Obijciens secundo: Veritates supernaturales sunt intra obiectum specificativum nostri intellectus: Ergo viribus natura possunt ab illo attingi. Antecedens est certum: si enim tales veritates non essent intra obiectum specificativum intellectus nostri, ille quavis auxilio supernaturali adjuvus, non posset eas attingere, cum nulla potentia extra suum obiectum specificativum exire possit. Consequentia vero probatur. Quocumque potentia potest viribus propriis attingere quicquid est intra suum obiectum specificativum: Ergo si veritates supernaturales, & nostre fidei mysteria, intra obiectum specificativum nostri intellectus continentur, viribus natura poterunt ab eo attingi.

87. Respondet distinguendo Antecedens: sunt intra obiectum specificativum, proportionatum, nego Antecedens: improportionatum, concedo Antecedens, & nego Consequentiam. Ad cuius probationem eodem modo distinguendum est Antecedens. Quocumque potentia potest viribus propriis attingere quicquid est intra suum obiectum specificativum, proportionatum, concedo; improportionatum, nego.

Explicatur solutio hoc exemplo: Licet lux Solis continetur intra obiectum specificativum visus, quod est corpus lucidum vel coloratum, quia tamen ob nimum ejus splendorem non est intra obiectum proportionatum oculi corporei, ab eo videri nequit, nisi virtute aliqua speciali & extraordinaria roboretur. Ita similiter, quamvis veritates supernaturales & mysteria fidei sint intra obiectum essentialia & specificativum nostri intellectus, quod est ens ut abstrahit a naturali & supernaturali, a creato & increato, a spiritali & corporeo, quia tamen non continentur intra ipsius obiectum proportionatum & connaturale (quod pro hoc statu est ens intelligibile per conversionem ad phantasmatam, & per species a sensibus acceptas) non possunt viribus natura ab eo attingi, sed debent prius proportionari, medio lumine elevante potentiam, & collocant eam in eodem ordine supernaturali.

88. Contra tertiam conclusionem obijciat: Si ad credendum requiritur auxilium naturale ex parte voluntatis, sicut requiritur ex parte intellectus, sequitur quod sicut in intellectu, prater auxilium naturale, ponitur habitus supernaturalis fidei, quo inclinantur permanenter ad credendum; ita fit ponendus aliquis habitus supernaturalis in voluntate, quo illa pariter permanenter inclinantur ad imperandum actum fidei: Sed hoc videtur absurdum: Ergo & illud. Major videtur vera, cum eadem fit ratio de habitu, ac de auxilio, & de voluntate ac de intellectu. Minor vero fadtur: Talis habitus supernaturalis in voluntate receptus, nec erit virtus Theologica (cum virtutes Theologicae sint tantum tres, nimirum fides, spes, & caritas) nec moralis, quia virtutes morales insensibilibus amittuntur per peccatum mortale cum ipsa gratia a qua emanant; si vero talis habitus daretur in voluntate, ille in peccatore remaneret, sicut fides, cum peccator actum fidei informem elicere possit: Ergo &c.

Respondet primo negando sequelam Majoris: sicut enim in naturalibus ad opera artis efficienda ponitur habitus

in solo intellectu, non autem in voluntate, quamvis ipse & instrumenta debeant a voluntate moveri, ita ad assentiendum mysteriis revelatis, non est ponendus habitus in voluntate, sed in solo intellectu, licet intellectus assensum fidei non eliciat, nisi applicatus a voluntate, sed sufficit quod voluntas ad hanc applicationem per actuale auxilium eleveatur. Ratio vero disparitatis inter intellectum & voluntatem, quantum ad actum fidei, est, quia intellectus est elicivus immediate actus fidei, & ideo in eo est formalis & immediata difficultas; voluntas vero mediate solum & applicative ad illam occurrat.

90. Respondet secundo, data sequela Majoris, negando Minorem. Ad cuius probationem dicendum est, talem habitum in voluntate receptum, nec esse proprie virtutem moralem, nec Theologicam, sed reductive pertinere ad virtutem Theologicam, scilicet ad fidem, ut via & dispositio ad illam. Utraque probabilis est: que vero sit probabilior, & doctrina D. Thome conformior, dicemus in Tractatu de Fide, ad quem hujus difficultatis solutio pertinet.

91. Obijciens tertio contra eandem conclusionem: Potest aliquis velle credere propter vanam gloriam: Sed talis volitio non potest esse ex auxilio speciali, cum sit peccatum, & Deus specialiter ad actum peccati non concurrat: Ergo non est necessarium speciale auxilium ad piam affectionem, siue initium credendi. Minor videtur certa: Major etiam conceditur, & est D. Thome a. 2. quæst. 47. art. 2. ubi dicit actum fidei non postulare esse conformitatem ad appetitum rectum; unde sicut character sacerdotialis est propria ratione ordinat ad vere consecrandum, non autem ad bene; ita fides ordinat essentialiter ad Deum in ratione veri, non autem in ratione boni & ultimi finis.

92. Respondet, concessa Majori, distinguendo Minorem: talis volitio non potest esse ex auxilio speciali, quatenus est moraliter mala, concedo Minorem: prout est in ordine physico, nego Minorem, & Consequentiam. Sicut ergo cum Sacerdos vult consecrare propter vanam gloriam, vel propter fortilegium, intentio illa, ut consecratoria, & productiva corporis Christi sub speciebus, est a Deo, speciali auxilio concurrente; ut autem est intentio vanæ gloriæ, aut fortilegii, non est a Deo, sed a prava voluntate: ita pariter dum quis vult elicere actum fidei ob vanam gloriam, quamvis talis volitio in esse mali moralis in solam voluntatem reductur; si tamen consideretur in esse physico, procedit ab auxilio supernaturali, quia sub hac ratione respicit obiectum supernaturale, quod tale, scilicet assensum fidei terminatum ad divinas veritates, sub ratione formali divine revelationis.

§. III.

Corollarium notandum dignum.

93. EX dictis inferes contra Durandum, Cajetanum, & Molinam, auxilium gratia quod diximus requiri ad assentiendum veritatibus revelatis, non esse necessarium solum propter aliquem modum ipsius assensus, sed propter ejus substantiam & entitatem; ita ut cum solo concursu generali non possit homo elicere alium assensum, qui sit similis & ejusdem speciei cum illo, quantum ad substantiam.

94. Probatur breviter: Assensus de quo loquimur est quoad substantiam & entitatem supernaturalis: Ergo non potest produci, etiam quoad substantiam, cum solo concursu generali, sed ad eum requiritur auxilium supernaturale. Consequentia patet ex supra dictis: nam actus supernaturalis excedit vires naturales. Antecedens probatur: Actus cujus primarium & formale specificativum est supernaturale, quoad substantiam & entitatem, supernaturalis est: Sed primarium & formale specificativum assensus fidei, est supernaturale: Ergo talis assensus est quoad substantiam, & entitatem, supernaturalis. Major patet: nam si primarium & formale specificativum actus fidei sit supernaturale, ejus species & essentia supernaturalis erit: Ergo & ejus entitas & substantia, cum nihil magis pertineat ad entitatem & substantiam cujuscumque rei, quam ejus species & essentia. Minor vero fadtur: Assensus fidei non terminatur ad veritates supernaturales quomodocumque, sed terminatur ad eas sub ratione formali divine revelationis; adeo ut quamvis sint illa motiva que inducere possunt ad credendum, illa tamen debent intellectus transgredere, & illis non inniti, sed soli auctoritati Dei revelantis: At divina revelatio est quid supernaturale: Ergo primarium & formale specificativum assensus fidei, est supernaturale.

95. Dices: Actus fidei, cum sit vitalis, dicitur ordinem ad potentiam vitam a qua elicatur, nempe ad intellectum, & ab eo specificatur: Sed intellectus est potentia naturalis: Ergo actus fidei, quoad speciem, subindeque quoad entitatem & substantiam, naturalis est, & solum supernaturale quantum ad modum quendam accidentalem, &

quatenus per modum dispositionis ad formam & finem supernaturalem ordinatus. Unde Concilium Arausicanum can. 6. & Tridentinum sess. 6. can. 3. non definiunt absolute necessarium esse auxilium gratia ad credendum, sed Arausicanum addit, sicut oportet, & Tridentinum, sicut oportet, justificationis gratia conferatur.

Respondet, actum fidei, ut vitalem, dicere ordinem ad potentiam vitam, non nude sumptam, sed ut elevatam per habitum fidei, vel auxilium speciale: que sunt ratio proxima agendi, intellectus vero est principium dumtaxat radicale & remotum: unde cum habitus fidei, & auxilium speciale, sint supernaturalia, quantum ad substantiam, actus fidei ab illis immediate procedens, est quoque supernaturalis quantum ad substantiam, & non solum quantum ad modum. Ad illud veto quod ex Arausicano & Tridentino subditur, dicendum est, illa Concilia verba predicta in suis definitionibus apposuisse, quia solum definire contra Pelagianos voluerunt, necessarium esse gratiam ad credendum sicut oportet ad justificationem & salutem; & non curarunt questionem illam Theologicam, de qua agimus, determinare, an scilicet assensus fidei sit supernaturalis quoad substantiam, vel solum quantum ad modum, sed id reliquere Theologis disputandum.

96. Addunt aliqui, predicta Concilia ita loqui, & adde re verba illa, sicut oportet, ut indicent, posse quidem hominem per solas natura vires assentiri veritatibus relictis sibi exterius propositis, assensum quodam opinativo, ita ut ratio propter quam ille assentitur, non sit divina revelatio, sed motum aliquod probabile, ut in hereticis contingere cernimus; non tamen assensu certo & inaliabili auctoritati, & veracitati Dei revelantis innixo, qualis requiritur ad justificationem.

ARTICULUS III.

An homo in statu natura lapsa possit, sine gratia, aliquid bonum morale naturalem ordinis velle, & facere?

98. Questio procedit de triplici gratia, nimirum de gratia justificante, ad quam pertinet caritas, de gratia fidei, & de gratia actuali, seu auxiliante, juxta triplicem sententiam, que in hujus dubii resolutione circumfertur. Prima est Michaelis Baji, existimantis ad omne bonum morale requiri gratiam habituales, & imperium caritatis; subindeque omnia opera que homo in statu peccati elicit, esse peccata. Unde 34. ex propositionibus ejus a Pio V. & Gregorio XIII. proscriptis, sic habet: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Et 39. *In omnibus suis actibus peccator servus dominanti cupiditati.*

Secunda est Janfenii, afferentis ad omne opus moraliter bonum, gratiam fidei esse necessariam: ex quo inferunt, omnia opera infidelium esse peccata, & omnes eorum virtutes, vita. Unde lib. 3. de statu nature lapsæ cap. 14. ait: *Inabitatum esse in doctrina Christi & Ecclesie, nullum opus bonum, ne quidem moraliter, ab humano arbitrio posse fieri, nisi per gratiam, non qualemlibet, sed hanc, liberetur: ne proinde ante fidem non sit ei liberum a peccato, cum hic & nunc agere medietur abstinere; sed quocumque se vererit, quodam humanis viribus insolubili peccandi necessitate tenetur.* Et cap. 17. ejusdem libri hunc titulum præfigit: *Naga, delirium, insaniam, impietas, contrarius Christianorum sensus, scripturis, & fidei, quod infidelium sit ulla vera virtus, vel opera sine peccato, juxta Augustinum & Concilium Arausicanum.*

Tertia sententia, licet ad actus moraliter bonos influxum caritatis aut fidei non requiratur, docet tamen ad bene operandum moraliter necessariam esse gratiam quendam actualem & auxiliantem. Hanc olim tenuit Gregorius de Arimino in a. dist. 28. quem sequitur Vasquez hic disput. 189. licet iste diverso duatur motivo: Gregorius enim necessitatem gratia auxiliantis ad opus morale probat ex defectu potentia, unde illam exigere debet, ut det posse expeditum. Vasquez autem non ex defectu potentia, sed ratione indifferentia liberi arbitrii ad bonum vel ad malum, ejusdem gratia necessitatem astruit quare illam exigit, non ut det posse, sed actu agere; eamque consistere docet in quadam cogitatione honesta & congrua, hoc est attemperata genio, complexionis, seu temperamento hominis, vel a Deo immixta in circumstantiis illis & occasionibus, in quibus prævidit ab æterno sua scientia media liberum arbitrium, per eam excitatum, implere solentibus. Eandem sententiam, ut probabilior, amplectitur illustrissimus Dominus Abbely, Episcopus Ruthenensis, in sua medulla Theologica, Tract. de grat. sect. 6. conclus. 2.